



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.
Emanuelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è
Societate Jesu**

Giuglaris, Luigi

Francofvrti, 1684

Pilator sistitur, & accusatur. 54

urn:nbn:de:hbz:466:1-38349

Percussores suos illum odisse ne crederes
 Videri propemodum voluit ignorasse.
 Quamquam non facilis fuerit
 Ad interrogationem responsio,
 Qua rogabatur edicere à quo foret percussus.
 In unum aliquem
 Conjicere culpam non potuit,
 Quæ erat omnium.
 Ut singulos intelligeres
 Omisit dicere singulares.
 De iis honorificè loqui non poterat, tacuit.
 Qua nocte suis non potuerat somnum excutere,
 Miratus est Hierosolymis
 Pernoctasse tot Vigiles.
 At non hoc primum experimento didicerat,
 Sopiti plerumque in hominibus Charitatem,
 Nunquam invidiam.

*Propheta, quis est,
 qui te percussit,*

*Quare ad interroga-
 tionem hujusmodi
 non responderit.
 Omnes nos quasi o-
 ves erravimus, &
 posuit in eo Dominus
 iniquitates omnium
 nostrum.*

*Insomnes enim tota
 ea nocte videntur
 pernoctasse non mili-
 tes solum, sed pro-
 ceteros omnes, &
 populus.*

ELOGIUM LIV.
 PILATO SISTITUR, ET AC-
 CUSATUR.

Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 18.

Illuxit cæcis tenebrionibus inutilis dies ;
 Ortus mane factò Sol est,
 Nec vident adhuc unde veniant,
 Aut quo vadant.
 Deum suum vovent furori victimam
 Sacerdotes,
 Hoc quoque sibi in illum jus vendicant,
 Ex quo novo emptionis titulo
 Suum fecerunt.
 Imperiti Nundinatores
 Nescierant non tenere contractum,
 Cum læsus venditor ultra dimidium est.
 Sceleri ne desit Auctoritas
 Illud coacto Concilio publicum faciunt.
 Capitalis fit apud Principes,
 Qui populo placuisset.

*Manè autem factò
 Principes Sacerdo-
 rum, & seniores con-
 siliium inierunt ut
 eum morti traderent.*

*Venditus enim illis
 à Iuda fuerat.
 Certum id ex legi-
 bus; Iudas autem
 utique læsus ultra
 dimidium.*

*Invenimus hunc
 subvertentem
 populum.*

F

Puniunt

Puniuntur in illo vitutes,
 In quo crimina nequeunt.
 Tertium numerus, non fides, attenditur;
 Statuitur summa piaculi
 Nescisse peccare dum viveret,
 Desipere dum doceret.
 Arguitur se fecisse, quod natus erat,
 Se dixisse, quod fuerat.
 Intentus alienum impedire scelus,
 Non pœnam suam.

*Quia filium Dei se
 fecit, ille vero in hoc
 natus erat.*

*A modo videbitis
 filium hominis seden-
 tem a dextris Dei &
 venientem in nu-
 bibus caeli.*

*Et vinctum adduxe-
 runt ad Pilatum.*

*Princeps Sacerdo-
 tum, & Seniores
 accusabant eum.
 Sciebat Pilatus, quod
 propter invidiam
 tradidissent illum.*

*Duo crimina objecta
 Christo quod subver-
 teret populum, &
 quod se Regem
 faceret.*

*Pilatus autem non-
 nisi de secundo inter-
 rogavit, & quare.*

*Cum adhuc ut He-
 rodis inimicus au-
 diens Galileum, di-
 misit ad illum Iesum.*

Non vidit unde melius corrigeret humana iudicia,
 Quam ingesta mentione Divini.
 At qui nullam Reo aurem servaverant,
 Non invenire quam darent.
 De Nube loquutus in nube creditus loqui,
 Captare inania visus est,
 Qui suam describeret in Aere potestatem.
 Ad Profanum forum
 Novo scelere causa sacra traducitur;
 Sele ad Sicophantiam usque demittunt
 Superba capita,
 Conscientiam tanti facinoris
 Penes se esse non curant,
 Dummodo sit ejus ignominia penes Pilatum,
 Tam pinguis nequitia
 Cœcum alioqui Prætorem non latuit.
 Illam, si non vidit, palpavit.
 Et tam mitem quidem animam
 Ciere turbas potuisse non credidit;
 Ubi tamen accersitus de Regno est,
 Non negavit crimini fidem,
 Quod probabile faceret
 Infra vultui Divino Majestas.
 Oneratum tanta Rei gravitate se sentiens,
 Molestiam hanc
 Inimicum in Herodem exonerat.
 Adeo apud Magnates
 Ipsa etiam plerumque officia, vindictæ sunt.